



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 113. Aliæ propositiones ab inquisitore ad Facultatem transmissæ, ac censuris notatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.
A.C. 1557.

§. CXIII.

Aliæ propositiones ab Inquisitore ad Facultatem transmissæ, ac censuris notatæ.

*Argentre
p. 182.*

Die duodecima ejusdem Mensis Augusti eadem Facultas Sorbonnæ congregata condemnabat itidem alias propositiones, quas Leonardus Floreau Ordinis S. Dominici, ac Burdegalensis Inquisitor apud eandem deferebat. Harum prima his erat concepta verbis: *Deus non adoratur sub rebus visibilibus, ac palpabilibus, sed solum in Spiritu, & veritate.* Hæc propositio, quam idem Chefdevillus in feria sexta, dum Evangelium de muliere Samaritana explicabat, enuntiaverat, ex integro censebatur esse hæretica.

II. Explicans hæc Christi Domini verba: *Omne, quod intrat in os &c.* asseruit: *Deus non curat, an carnis, vel piscis vescamur, vel an vinum album, vel rubrum bibamus; omnia enim creavit propter hominem, cui etiam illis uti permisum est, dummodo omnia cum gratiarum actione sumat.* Hæc propositio, inquit Facultas, quatenus detrahit providentiae divinæ, est blasphema, & quatenus tollit delectum ciborum, est hæretica.

III. So-



III. *Solus Sabbati dies est sanctifican-* Sæcul. XVI.
dus, atque observandus. Hæc propositio, A.C. 1557.
uti sonat Facultatis censura, tollens obli-
gationem festa per Ecclesiam præcepta san-
tificandi est tanquam hæretica conde-
nnanda.

IV. Dum hic Concionator hæc ver-
ba Epistolæ primæ ad Corinthios cap.
10. exponit: *Quotiescumque manducabitis*
panem hunc &c. hæc effatus est: *Quili-*
bet sese intra suum cubile recipiat, post-
quam alter alteri reconciliatus est, in sua
tamen hac expositione nullam mentio-
nem facit de confessione, seu reconcilia-
tione Sacramentali, quapropter hæc
propositio tanquam de hæresi suspecta
proscribebatur.

V. Exponens Evangelium de epu-
lone divite ajebat: *Infernus non aliud*
erut locus, quam locus, ubi est sepultura
corporum illorum, qui e vivis excesserunt.
Hæc propositio tanquam hæretica, &
jam dudum damnata configebatur.

VI. Loquens de jejunio, & abstinen-
tia dixit: *Innumeri dantur abusus, me-*
liusque foret, si refectionem suam sèpius,
& sobrie quivis sumeret, quam semel, sed
abundanter. Hæc propositio, inquit Fa-
cultas, quantum ad secundam partem,
in qua tollit jejunium Ecclesiæ, est er-
ronea, & schismatica.

§. CXIV.